



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorivs  
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,  
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges  
Francorvm, Carolvm Martellvm, ...**

**Gretser, Jacob**

**[München], 1613**

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Carolum, &  
Carlomannum Reges directa, in qua continentur gratiarum actiones, & de  
litteris ab eis directis, & vt cum Domino Genitore eorum, semper pro ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](#)

sublime extollat, saeuissimeq; quoquomodo valeat funditus disperdere; sed magis, ut confidimus in vestram benignissimam excellentiam, atq; à Deo præclaram cordis vestri dilatationem, huic nostrę postulationi vestra præclara excellentia aurem adcommode dare dignet, quatenus & ille securus de huiuscmodi re persistat, & nos pro vestra immensa lætitia atq; so- spitatis gaudio indesinenter Dominum Deum cæli exorare iubeamus. Bene valete.

*Item exemplar Epistola eiusdem Papæ, ad Domnum Carolum, & Carolomanum Reges directa, in qua continentur gratiarum actiones, & de litteris ab eis directis, & ut cum Domino Genitore eorum, semper pro defensione sanctæ Dei Ecclesie decertare debeant.*

## XL.

**D**OMNIS excellentissimis filiis Carolo, & Carolomanno Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum Paulus Papa... Quanto decoris nitore regalis gloriæ fastigium ornetis, ex hoc utique omnibus patenter datur intelligi, dum nimirum, sicut præclaro genere orti, piis operibus ac dignis videmini illustrari moribus. Vnde vnam quidem huius diuini munieris gratiam possidetis ex genere, & alia fruimini ex opere, & nec mirum, si tantis infulis gloriæ nobilitas vestra pollet, dum profectò scriptum est: *Generatio Psal. III.* rectorum benedicetur. Glorificamus enim atq; conlau-damus Dei nostri clementiā, qui tantā vobis Spiritus sancti gratiam contulit, iam nempe prædestinatos vos habuit, antequām de materno prodiretis utero, quoniam quos præscivit, & prædestinavit; quos prædestinavit, hos & vocavit; quos vocavit, illos & magnificavit.

Summ. 28.  
Baronius  
Cent. ex-  
traordinē  
mentionem  
faciunt tri-  
um Epista-  
larum ad  
Carolum  
& Carolo-  
mannum.

*Rom. 8.*

Verè

Verè enim magnificauit Dominus misericordiam suam super vos, & in Reges per suum Apostolum B. Petrum, vōs vnguens, defensores sanctæ sūræ Ecclesiæ, arque fidei orthodoxæ constituit, vt participes, in hoc bono opere, vestri Christianissimi efficiamini genitoris, pro quo digna vobis erit in cœlestibus regnis cum eo concessa remuneratio, & cum omni eritis sanctorum computati collegio.

Interea reuersus ad nos Petrus primus Defensorum, Missus noster, detulit nobis, quas direxistiſ litteras, quibus relectis, magna cor nostrum repletum est lætitia. Per has quippe innotuistiſ excellentissimi atque præcellentissimi filij, vos semper in amore B. Petri & spiritualis matris vestræ, sanctæ Dei Ecclesiæ, atq; nostro, esse permansuros, & viriliter decertatuſos pro ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ, atq; fidei orthodoxæ deſtione, & quidem nobis, boni præcellentissimi Reges, de vestra firma huiuscmodi constantia, omnino confidendum est, magnam, post Deum, in vobis habentes spem. Sed omnipotens Dominus, qui diues est in misericordiis, ad perfectam vos perducat æratem tribuens vobis longæua ac felicia tempora corroborerq; in vobis fortitudinem brachij sui, atq; victores vos super omnes barbaras efficiat nationes; dilatans regni vestri terminos, atque de vestro preclaro ſemine ſuper regale ſolium potentiaſ vestræ usque in finem ſæculi ſedere permittat, pro æterna sanctæ ſuæ Ecclesiæ yniuersali exaltatione & fidei orthodoxæ deſtione.

Sed peto, excellentissimi filij, vt imitatores vestri Christianissimi genitoris, efficiamini, eiusq; Deo platis sequentes vestigia, vt ſicut ipſe operibus omnibus gen-

gentibus demonstrauit, ita quoque & vos bonum, quod cœpistis opus, perficere studeatis, & viriliter cum eo decertare, quatenus amplissima sanctæ Dei Ecclesiæ procuretur exaltatio, dum vestro auxilio B. Petrus receperit iusticias suas, dignamq; ex hoc coram Deo, & Angelis eius, eodem principe Apostolorum, B. Petro interueniente, cœlestium præmiorum recipiatis remunerationem, & vestri nominis memoria laudabilis maneat in sæculum sæculi diuulgata. Deus autem omnipotens, qui cuncta ex nihilo suæ potentia verbo firmauit suis vos diuinis adhærere faciens mandatis, vestra in beneplacito suo dirigat studia, tribuatq; vobis prudentiæ industriam, qualiter regni culmen gubernare valeatis, atq; aduersantium gentium nationes vestris subiiciat pedibus, & sicut in præsenti vita regalem vobis concessit dignitatem; ita quoq; & cœlestia vobis conferat præmiorum gaudia.

*Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ ad  
Dominum Carolum & Carlomannum, Regibus directa,  
in qua continentur gratiarum actiones &  
uberrimæ benedictiones.*

## XLI.

**D**O MNIS excellentissimis filiis Carolo & Carolomanno Regibus Francorum & patriciis Romanorum Paulus Papa. Missam relationem Excellentia vestrae deferentibus harum gerulis Droctegango scilicet & Wulfardo, religiosis Abbatis, suscipientes votiuo sumus incolumentis vestrae nuntio releuati, optantes, ut vitam actusq; vestros sua misericordia Dominus & protegat & disponat, atque

Y ad